

STEPHANVS 8. ROMAN. PONTIFEX.



Stephanus hic in Germania oriundus, & omni genere literarum excultus fuit. fecere etiam mirabiles eius uitutes, ut omnium regum & principum fauorem adeptus sit. hinc factum ut per uarias dignitatum gradus primus tandem ex Germanis ad fastigium Romani pontificatus ascenderit, anno noningētesimo quadragesimo. Cum autem insigni mansuetudine esset præditus, & pacis studia bellis & tumultibus præferret, æmuli eius ingenti ipsum odio prosecuti sunt, donec tandem seditionem popularem contra eum excitarunt. Propterea is Romæ uarijs moxibus agitatus, tandem in maximum discrimen incidit. Inualescentibus enim aduersarijs, grauiter uulneratus & miserè mutilatus est, ut diu cicatricum deformitate in publicum prodire abstinuerit. Huius rei indignitate Hugo rex Italæ motus, arma ad eam iniuriam uindicandum parauit. uerùm morte præuentus rem tantam exequi non potuit. Nec Lotharius eius filius, qui post patrem Italæ Imperio potitus est, grauius in illos animaduertit, fortassis quia neminem ex Romanis proceribus lädere ei tutum uidebatur, uel quod & ipse non diu superstes mansit, nam biennio tantum rebus præfuit.